



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Apostasia tripliciter consideratur: & an semper excommunicationem  
inducat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

bitatur. Octava est, nolle, aut negligere aduocare in causa iusta pauperis: quum ipse aduocatus possit, nec appareat alius qui aduocet, & sine eius adiutorio, pauper opprimi creditur. In huiusmodi enim casu tenetur ipse aduocare seu procurare, sicut medicus medicare, si in simili periculo esset pauperis sanitas.

*Alchimia quando sit vitiosa, & quando non.*

**A**lchimistarum ars, non est illicita sine fraude, quia nihil repugnans rectæ rationi habet secundum se, Licet multi abutantur ea, aut imprudenter nouis compositionibus se occupent, aut fatuè facultates in fumum conuertant, Nec peccatum est, vendere rem per Alchimiam factam pro re quæ est: sicut cæteras res quocunque artificio factas, licitum est vendere pro his quæ in veritate sunt. Iniquum autem esset vendere illam pro re quæ apparet, & non est, quoniam hoc est decipere proximum.

*Ambitio quando que in mortale, quandoque in veniale peccatum imputatur.*

**A**mbitio, hoc est inordinatus appetitus honoris, est manifestè peccatum. Non est autem mortale peccatum, nisi vel ex parte rei in qua appetitur honor: puta si quis vult honorari ob crimen aliquod. Vel ex parte finis: vt si cõstituatur in honore vltimus finis, puta si ob consequendum honorem non curat quis offendere Deum mortaliter, puta quia vult haberi vt Deus, vel preferri aliis quibus non est præferendus in distributione communium dignitatum: vel vult ob honorem quod quodcunque aliud mortale: vel e contra honor desideratur ad scelus aliquod perpetrandum, puta ad tyrannidem.

*Apostasia tripliciter consideratur: & an semper*

*semper excommunicationem inducat.*

**A**postasia est triplex: à fide, à religione, ab ordine. Et prima quidem manifestè peior est hæresi, utpote excedens ipsam, totaliter tollendo fidem. Et ideo subduntur proculdubio apostatæ à fide, excommunicationi & reliquis pœnis hæreticorum. Apostatæ autem à religione, & excommunicari sunt ob habitus dimissionem, & in damnationis statu perseverant, etiam si ab excommunicatione absoluantur, donec ad religionem regrediantur: quoniam talis status directè contrariatur religionis statui, ad quem constat de necessitate salutis teneri religiosum ex suo solenni voto. Tertia verò Apostasia tunc propriè incurritur, quum ab ordine sacro quis retrocedit, ad secularem rediens statum: quod constat sine mortali peccato non fieri, ob contemptum iuris canonici & voti, & ipsius ordinis sacri, ex suo nomine manifestè mancipantis hominem ad sacri ministerii statum. Quum autem aliquis non ex contemptu, à minoribus ordinibus seu prima tonsura recedit, abiiciens vitam & habitum clericalem, non propriè apostata dicitur, quia non est apostata: quia non retrocedit à statu firmiter mancipante diuinis, sed quasi ambulatorio, ex indulgentia canonum. Et si ex rationabili causa id facit (puta quia cogitur ducere viduam in uxorem, vel aliquid repugnans clericatui perficere) nō peccat: quia nullus errat dum rectam rationem sequitur. Si verò ex humana fragilitate id facit, veniale peccatum incurrit propter suam inconstantiam. Nec huiusmodi peccatum efficitur mortale, ex eo quòd deseritur Ecclesiasticum beneficium simul cum minoribus ordinibus: quia nec ex canonici iuris, nec ex voti alicuius vinculo, nec ex natura operis habet huiusmodi retrocessio vnde sit perniciosa. Iura siquidem hoc

**B** §

permit-

permittunt, secundum indulgentiam, votum nullum est. Et si ex natura operis actus esset contra charitatem, nunquam posset quis licite à clericatu & beneficio recedere, sicut nunquam licet mentiri. Imò plus sequitur quòd non posset hoc absque offensa Dei mortali fieri, vt de se patet.

*Arrogantia quandoque venialis,  
quandoque mortalis est.*

**A**rrogantia, qua sibi quis quod supra se est, tribuit (siue illud pertineat ad scientiam, siue ad potentiam, siue ad bonam voluntatem, siue ad auctoritatem) peccatum est, quia contra rectam rationem est. Sed mortale non est, nisi vel id quod sibi usurpat, sit contra diuinam reuerentiam: vt, rex Tyri, Deus ego sum. Aut contra proximum, vt tyrannus, vel finis vltimus in huiusmodi illatione ponatur: quod ex eo apparet, quòd paratus est ob illam non curare de diuinis aut Ecclesiæ præceptis. Vel in despectione consistat aliorum: sicut Pharisæus. Non sum sicut cæteri hominum: velut etiam hic Publicanus. Licet hoc ad secundum modum possit reduci: quia ex affectu arrogantis, quamuis non ex parte rei, usurpatur superioritas despectiua proximi. Est ergo arrogantia mortalis, vel ex parte arrogatæ rei contra Deum, aut proximum vel ex parte finis in huiusmodi elatione constituti, vel ex parte affectus intorquentis arrogantiam contra alios. Est autem frequenter venialis arrogantia, dum absque præiudicio proximi æstimat quis se plus scientiæ, aut bonitatis, aut auctoritatis habere, quàm habeat &c. Nec inter lenia peccata computandum est, quum quis se æstimat meliorem quàm sit quoniã & species est superbiæ (de qua scriptum est, Et mundabor à delicto maximo) & obicem ponit studio ad gradiendum iuxta mēsuram suam in via Dei:  
sicut